

h. 76, 43

בִּיהוּר

Ya
3307

VICISSITUDINES

SCHOLARUM

breviter recenset,

X2005160

atque simul ad

VALEDICTIONEM

trium Adolescentum,

qui

pietate, diligentia atque modestia

Condiscipulorum oculos

hactenus in se convertere

visti sunt,

Maxime Venerabiles

DOMINOS

INSPECTORES,

& omnes

Rei Scholasticae Promotores &

Patronos


devotissimè invitat

M. JOH. AUGUSTINUS EGENOLFUS,

RECTOR.

D R E S D Æ,

Typis viduæ & hæredum MELCHIORIS BERGENII,
Elect. Saxon. Typogr.





יְשׁוּעָה



SCholas ἀπό τῆς χολῆς ἢ τὸ χολάζειν, ab otio aut à vacando, quod iuxta Musis tribuenda sint otia, & rebus ceteris omissis Pueri studiis liberalibus vacare debeant, denominatas, Spiritus sancti officinas esse & sapientiae emporia, qui dicit, rectè dicit. In illis enim si fideles, autoritate publica instructi & legitimè vocati Praeceptores quotidie partes sui expleant muneris, si sancto Christi in nomine laborare incipiant atque desinant, Spiritus Jehovae, qui Spiritus est sapientiae & intelligentiae, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiae & timoris Domini, praxi catechetica, ut & cognitione linguarum & artium instrumentalium teneros puerorum & adolescentum animos ad superiores præparat facultates ducendos in veritatem. Quia igitur maturè molles & cereas quasi liberorum mentes, nequaquam erroneis opinionibus aut turpissimis cupiditatibus, sed vera Dei cognitione & solida pietate imbuerè, morumque elegantia exornare pii, quibus cordi sunt & curæ, parentes tenentur, non injustè faciunt, qui fidei Magistrorum, publicis in Scholis docentium, committunt erudiendos, ut Deum trinunum sanctissime colere, & sic cum proximo vivere consuescant, ne ullum sibi dedecus, ignominiam & infamiam concilient. Quemadmodum enim, quamprimum editi sunt infantes, corporis membra Matres, ne incurventur, dirigunt; ita tenelli puerorum animi quamlibet ad institutionem fingi possunt, ut, quae vel semel maturè impressa, firmiter, quam quae pario insculpta sunt marmori, iisdem inhaereant. Unde non tantum ludi literarii παιδείηρια, διδασκαλεῖα, φρονιτήρια, verum & φυτεῖηρια καὶ σεμνεῖα, plantaria & sanctuaria, loca, ubi sacra peraguntur, credo, divinae ob Majestatis praesentiam, eleganter Graecis appellantur. Quicumque igitur Scholam, studiis intentus, frequentat discipulus, non in foedo cyclosum, aut sicariorum quorundam agmine, sed in ipsius Dei, omnium Rectoris, & ejus angelorum con-

spe-



specu verfatu affidue, aeternusque Dei Filius, qui duobus aut tribus, suo in nomine congregatis, praesto se futurum promisit, non tantum generali omnipraesentiae modo, quo omnibus adest creaturis, quo in ipso sunt, moventur & vivunt homines, verum etiam praesentia illum dignatur gratiosa, & piis docentium atque discipulorum laboribus benedicit, ut ex Scholis prodeant verae & orthodoxae professores religionis, qui semen verbi divini largiter spargant in Ecclesia, qui depravatas impurissimis opinionibus mentes ad certum veritatis tramitem revocent, & contrita, ac sensu & metu irae divinae prostrata auditorum corda efficaci solatio erigant. Ut ex Scholis prodeant Regum, Principum, aliorumque Magnatum Consilarii, Justitiae administri & moderatores, qui servent, & alios servare jubeant fidem, justitiae fundamentum. Ut ex scholis prudentes prodeant Oeconomi, bonique, qui vitam sobrie, juste & pie transigant, Viri, non quod licet, sed quod decet potius, facientes, sine fraude. Rectissime ergo Valentinus Friedlandus, Trocedorffius, decus & ornamentum, praeterito seculo, Scholae Aurimontanae in Silesia, suos aliquando salutavit discipulos: *Salvete Nobiles, Cancellarii, Consilarii, Consules & Senatores. Salvete Doctores, Magistri, Baccalaurei, Pastores, Diaconi & Aeditui. Salvete & vos Opifices, Sartores, Sutores, Lanii, Piscatores, Aucupes, Tabellarii*, quibus tandem addidit, cum Respublica illis minus carere possit, *Lictores & Carnifices*. Omnes nimirum innuens summates, infimates suo in scholis praeparari posse officio, quotidianis quod experimentis, longoque rerum usu didicerat. Quemadmodum autem Luna jam pernox omnia illustrat lumine, jam vero silens sideris sui nitorem abscondit, jam, quae reparaverat nuper, cornua contrahit, & angustum exhibet orbem; ita etiam scholae, rerum columnae publicarum, ad tempus floruerunt, ut, fiderum instar, vitam illis & influxum largirentur; quae vel morum licentia, vel temporum perturbatione, vel populorum barbarie, vel etiam Principum tyrannide non tantum omnem post lucem perdiderunt & splendorem, verum penitus etiam, non sine bonorum dolore, abolitae sunt & extinctae. Ita nihil aeternum, nihil duraturum in longum ferre possunt mutabiles temporum vices, quae tamen, ne ad finem usque mundi scholas vel has, vel alias conservet, divinae non obstare possunt providentiae. Adami certe, ut ab ovo auspicemur, schola, quam Creatoris jussu instituerat sine dubio, Caini fratricidio haud parum luminis amisit, per posteros autem, Henochum maxime & Mathusalemum, illo superstite, instaurata universali defuisset dilu-
vio

vio, nisi Noachus, Semusque filius, verum Dei cultum, sanamque doctrinam propagassent. Quae vero de duabus Sethi columnis, altera quidem lateritia, altera lapidea, Josephus tradit, aequae ac octo quadratae, Adami, filiorumque Sethi literas exhibentes, quas in Vaticano Roma ostentat, figmenta sunt & fabulae, ab eruditis jam pridem explosae. Celebris est non in sacris tantum, sed & gentium annalibus, Abrahami Schola, quam, non per somnium, nec angeli ministerio, sed immediatè à Deo vocatus, ejurata aperuit idololatria, ut demonstrata ad cælum via, salutaribus vitae morumque praeceptis filios pietatis ac justitiæ studiosos, & fidelem Deo sibi que familiam, omnium pater credentium, institueret. Hujus è pronepotis Levi tribu Deus ipse, in terram benedictionis, melle & lacte fluentem introducto, quem in peculium sibi elegerat, populo praeceptores scholasticos elegit. Levitas enim universam per Palaestinam diffuse habitantes non tantum cultui vacare divino, tabernaculoque praeesse, sed & lege Domini explicata, filios, ut & tribus reliquas, de controversiis circa religionem obortis informare voluit, quibus urbes octo & quadraginta facillè primarias, qualis inter alias Debir, olim Kiriath Sepher, assignavit. Nec quisquam adeò rerum est ignarus omnium, qui Heli Sacerdotis, Samuelis, Elifaci, Prophetarum scholas ad captivitatem usque Babylonicam ex sacris, tam facillè, quam vulpes pyrum comest, probatum ire nesciat. Praeter Ebraeos, Ægyptiis etiam, Arabibus & Chaldaeis suos fuisse ludos literarios, satis est manifestum. Talis Nebucadnezaris Magni, qui Daniëlem, aliosque procerum judaicorum forma eleganti, & praestantia ingenii, excellentes filios, Babylone, lingua chaldaica, artibus itidem & disciplinis liberalibus, ab optimis & eruditis, sapienti quos consilio praefecerat, praeceptoribus imbui jussit, & quantum ex Danielis Hagiographo conjicere licet, ipsemet illorum in profectus inquisivit. Post captivitatem Babylonicam duae potissimum, nisi forsàn academias dicere malis, memorantur scholae, altera quidem Surana in Babylonia, circa Thanaeorum & Amoraeorum fines; altera vero Pombedithana, h. e. in Pombeditha, loco non adeo procul à Surana dissito. Utraque caput, Rectorem nempe, sive Scholarcham habuit amplitudine & auctoritate conspicuum, quorum Suranus (Schindlerus in Pentaglotto Syrum vocat) dextrae, Pombedithanus vero sinistrae Ducis asfidere solitus fuit. Temporibus novi Testamenti scholas Christi Salvatoris, Johannis Baptistae, Gamalielis, aliorum floruisse constat inter omnes. Progredimur ad Antiochenam, Alexandrinam, Caesariensem, in qua
do -

docuit Origenes, Bizantinam, ubi se & Basilium informatum Gregorius Nazianzenus scribit. Nec alia initio Canonicorum fuerunt collegia, quam docentium cœtus atque discentium, quae Germanis etiam ante Constantini Magni tempora non defuisse, ex Irenaeo & Epiphano, multi nostrorum confirmant. Misera verò post Attilam, qui, Romanorum imperium everfurus, perniciem attulit gentibus, Musarum, rebus per orbem turbatis, fuit facies, usque ad auspiciatissimum Caroli Magni, sub quo generis humani Reparator regnasse, vicisse & triumphasse scribitur ab historicis, imperium, quod non minus transactionis atque electionis, quam bellijure in Occidente adeptus cum ipso, post Christum natum, seculo nono inchoavit. Hic enim Imperator domitis longè latèq; gentibus, redditâq; pace, lucem studiis amplioem fœneratus est, scholasque publicas, domicilia pietatis, officinas artium & disciplinarum, virtutum omnium sedes ubique locorum erexit, & Parisiis imprimis discipulorum profectus, institutis tentaminibus, ipsemet exploravit, diligentes, maximam partem pauperes, ad dexteram constitutos appellavit filios, & clementissime exceptis sacerdotia locupletissima, Pontificatus maximos, Senatorum, Praetorum & Patrum dignitates & honores in aula & imperio pollicitus est; comatulis verò & delicatulis, quod divitiis & majorum nobilitate freti Baccho potius, Veneri & Vacunae, quam Musis litassent, tempusque somno, ludo, otio magis, quam libris legendis, trivissent, ignavia exprobrata, ab omnibus illos dignitatibus & officiis exclusum & repulsum iri, minatus est. Noverat nimirum Imperator augustissimus, & probè noverat, Scholarum salutem, salutem esse publicam, noverat Scholis florentibus rempublicam florere, sicut illis marcescentibus hæc tandem marcescit & plane perit. Quod subsecuta non annorum tantum, sed seculorum testatur infelicitas, quibus truculenti carnifices Musas extinxerunt penitus, quibus artium Professoribus & Praeceptoribus, non secus, ac Juliani olim, funesti apostatae, qui scholas Christianorum claudi jussit, tempore silentium est impositum, quibus tandem Turcarum, aliorumque hostium exterorum immanitate scholae passim cum artibus ingenuis oppressae jacuerunt. Non enim Pallas & tyrannis, amor artis & Martis furor, sapientiae lumen & ignorantiae tenebrae, studium virtutis & veritatis odium jungitum potuerunt & cohabitare, & quamvis circa seculi XIII. à Christo nato initia sub Friderico II. studia literarum viderentur efflorescere, & imprimis Germanorum filii, non omnes quidem, plurimi certè rudes, barba-

barbari & illiterati esse definerent, deploranda tamen subsecuta est scholarum sub Papatus tenebris, plusquam cimmeriis, conditio, quando versus Alexandri cum plaustris ineptiarum, quas undique locorum & gentium, in gratiam adulatorum & grandium discipulorum, Magistri ingesserant, proponebantur, quando liber ille PATER MEUS praelegebatur, ut & EBRARDUS ET JOHANNES DE GARLANDIA, alia etiam obscurorum ejus temporis Virorum scripta, sic Erasmus loquitur, latinicalia, donec, vernali seculi XVI. laetitiâ exortâ Maximilianus primus, Imperatorum, quos oriens veneratus est & occidens, nulli gloriosis & illustribus factis secundus, errantes toto penè orbe Musas infinitis in Germaniam sumptibus vocavit, & intra imperii pomeria receptas tanquam firmissima provinciarum pignora & invictissima palladia, tutatus est. Auxit laetitiam eodem sub Imperatore orta per DEI gratiam in Saxoniae Electoratu lux Evangelii, qua cum praeunte divino spiritu, ad veri DEI, aeternique ejusdem Filii agnitionem Principes & populi ducerentur, ad scholas extruendas Germanorum urbes non tantum fidelissimus DEI sanctissimo in reformationis opere administer, Lutherus, exhortatus est, verum etiam, erectis illis, ope Melanchthonis, quem communem Germania Praeceptorem salutare non erubescit, & aliorum, qui Viri doctissimi presserunt vestigia, manibus vulnera Prisciani vapulantis obligata sunt & sanata. Tandem etiam felicissimum verae prosperitatis cursum plenis tenere velis Dresda coepit, cum omni, manum cui amicam porrigit, vicinia, quando Georgius Saxoniae Dux, postquam currenti sufflamen Evangelio, in omnibus, quae ad ipsum spectabant, provinciarum urbibus injicere frustra laborasset, rebus humanis anno, supra sesquimillesimum, trigesimo nono, exemptus, & tota ejusdem ditio ab intestato ad Henricum Pium, fratrem, heredemque proximum, cujus animus, neglectis his terrestribus, caelo unice intentus fuit, devoluta est. Hic enim Fratrem, qui & ipse, ante finem vitae, caelesti herbam veritati porrexisse scribitur, die XVII. Aprilis, fati concessisse certior factus, statim Freibergâ, ubi Filii ejus, Mauritius & Augustus, Duces & postea Electores Saxoniae, Scholam publicam frequentarunt non sine fructu, Dresdam discessit, sedeque occupata Pontificiam ejecit tyrannidem, & inter alia, quae immortalem illum reddunt, opera visitatione per D. Justum Jonam, Praepositum Wittebergensem, D. Melchiorum â Krens / D. Georgium Spalatinum, Dn. Casparum â Schönberg / in Krens.

Rechenberg/ & Dn. Rudolphum à Rechenberg instituta, Senatui opida-
no, Scholam ad D. Crucis, dotatam gratiosissime, emendandam &
renovandam clementissime commendavit. Inclytus igitur Urbis Se-
natus, magno cum applausu & gaudio civium, qui Romano-Babylo-
nico sub jugo satis jamdiu detenti, & multa indigna perpeffi, in-
gemuerant hætenus, anno sequenti MDXL. M. NICOLAUM
CÆSIUM, COBURGENSEM, cum tribus collegis aliis, quo-
rum, ut & successorum adhæc usque tempora, inferius mentio-
nem faciemus, scholae praefecit, & anno MDLVII. aedificium
novum suis extrui sumptibus curavit. Anno autem MDLXXV.
quintus & sextus Collegae reliquis additi, tandemque Regentes,
quos vocant, Alumnorum, ex majoribus primum discipulis re-
cepti, & septimam in classem introducti sunt. Nec desierunt E-
vergetæ hanc pietatis officinam ad nostra usque tempora liberaliter
conservare, namque paterna ipsorum cura non tantum anno
MDCXIX. quod inscriptio tabulae lapideae, Collegarum Catalo-
go subjecta docebit, renovatum est aedificium Scholasticum, ve-
rum & nostris temporibus, anno nimirum MDCLXVII. domo
nova, substratis fundamentis probe & examusim facta, Reçtori,
quicumque is futurus esset, de commodiori habitatione prospexe-
runt Patroni prudentissimi, qui & anno proximè præterito, extru-
ctis aliis, in quibus duo, tresve Collegae sine lite vivere possint,
aedibus, nullis sumptibus pepercerunt. Quae beneficia, ut &
quod justo cuique Collegarum tempore salarium solvitur, ut jure
nemo, de quo queratur, habeat, non tantum grato depraedicanda
veniunt animo, verum etiam in templo Memoriae & Gratia-
rum suspenfa anathemate aureo exornari perpetuo merentur à cli-
entibus, quorum labor in Christi nomine quotidie cœptus, divina
annuente gratia, frustra non est, quicquid etiam, ut studioso pi-
etatis & concordiae Collegio detrahat, obstrepens effutiat Calumnia,
mendacii & invidiae filia, curiositatis alumna, quam tamen, cum e-
xigua sit, magni non aestimandam esse tradunt Sapientes. De Ju-
dæis Christianus seculi nostri Rabbinus, magnoque Patre haud
minor filius, Buxtorfius, in Synagoga refert judaica, quod nullius
rei majorem, quam Scholarum & Gymnasiorum dignitatem habe-
ant, templa illis longè inferiora judicent, sique tandem justo mi-
nore earum cura sit, majestatem divinam expelli sibi persuadeant.
Non recedet a nobis salutis nostrae Autor & Conditor, quamdiu le-
giti-

gitimè à Magistratu vocati & confirmati Praeceptores publici, tam notandis & animadvertendis in vitiis, quam in docendo ac instituendo, mandato munere fungentur, ut Ecclesia inde ac Respublica sanguinem & spiritum capiat, & utraque ad finem usque, qui universitati rerum imminet, conservetur. Interea Deus omnes scholae nostrae fervet Patronos & Benefactores munificos, ipsis & benedicto illorum semini benefacere nunquam cesset, tandemque tribus discipulis piis & diligentibus,

Johanni Ernesto Mesenbergern / Dresd.)
Johanni Rudolfo Græfio, Dobergast, } Misnicis.
&
Johanni Benedicto Mezlero, Cränzahl. }

quorum ille de Sapiencia, iste de Amicitia, ex Ciceronis Laelio, prosa Latina, cras, Deo volente, hora II. pomeridiana, dissertaturus, hic autem tam suo, quam Commilitonum nomine, carmine elegiaco latino, valedicturus est, superne benedicat, ut relicto, in quo sudarunt hætenus, trivio altiora in academiis facultatum superiorum studia feliciter aggrediantur, atque cum Deo & die justa virtutis & diligentiae præmia reportent. Hos autem dicturos breviter ut Honoratissimi Domini Inspectores, & Gratosi scholae Patroni, sepositis paululum gravioribus negotiis, benevole audire velint, quam officiosissime rogo & exopto. Dresdae prid. Id. Augusti, anno M. DC. LXXVIII.



Athenæi Dresdensis

â tempore Reformationis, anno nimirum 1539.

Primus Rector fuit

M. Nicolaus Cæsius, Coburgensis, Philippo Melanchthoni amicis-
simus, ut ex sequente Epigrammate L. 2. in ejus obitum â
Philippo conscripto conjicere licet.

Ergone supremis rapuit mors improba fatis

Te, CÆSI, Aoniû gloria magna chori?

Hic tua cura fuit juvenilia corda docere,

Et mecum Christi multiplicare gregem.

Mox erit, ut coram cernamus uterque loquentem

Te λόγον eterno de genitore satum.

Tunc nobis inter sanctos arcana recludes

Omnia, in ætherea, Christe benigne, Schola.

Interea, CÆSI mibi dilectissime, salve,

Perpetuum salve, perpetuumque vale!

Is ab anno 1540. ad annum Christi 1558. Rectoris provinci-
am administravit. Eô annô d. 24. Februarii, qvi Matthiæ
facer est, ex sectione dexteri cruris, laborantis isto malo,
quod medici σφάκελον καὶ νέκρωσιν, Latini Siderationem
nuncupant, hanc in terris vitam clausit.

2. M. Tobias Moestelius, Plavia Variscus, ex academia Witteber-
genfi, ubi studiorum causa annos complures vixerat, ad
Scholæ gubernationem, svasu ac consilio Philippi Me-
lanchthonis, evocatus est anno 1558. Cum vero Rectoris
functioni octo fere annos præfuisset, in curiam Dresden-
sem translatus, non tantum Archigrammatei munus cum
laude aliquando obiit, verum etiam in senatorium ordi-
nem honoratissimum cooptatus, ac denique anno 1568. jus-
su & autoritate potentissimi Electoris Saxonix, AUGUSTI,
gloriosissimæ recordationis, Lipsiam ad capessendum in su-
prema electorali curia Potonotarii munus accitus est.

A

3. M. Jo-

3. M. Johannes Purgoldus, ex opido Henichen, propè Wittebergam sito, oriundus, quò & , ut fertur, ad Pastoris munus abiit, functus Rectoris officio per quinquennium.
4. M. Fridericus Zörlerus, Kizingensis Francus, qui suam provinciam ab anno 1571. usque ad 1581. quum gessisset, Freibergam reversus M. Apelio successit. Fuit inantè Collega Scholae Freibergensis per 22. annos.
5. M. Bernhardus Heroldus, Pegaviensis, qui ex Scholà Martisburgensi huc venit, & per annum modò officio functus est, quo elapso, officium sponte resignavit, & Martisburgum rediit.
6. M. Bartholomæus Rulichius, Lomacensis Misnicus, designatus est Rector Anno 1582. ex Schola illustri ad Muldam evocatus, sed triennio nondum exacto integro, officio se abdicavit, nactus functionem Ecclesiasticam primum Pirnæ, postea Lipsiæ, & tandem Augustæ Vindelicorum.
7. M. Michael Rackelmann, Weidensis Variscus, Rector factus Anno 1585. officio suo præfuit triennium, usque ad annum 1588. quo fatali quodam malo præterspem & culpam oppressus, & statione suâ expulsus, in exilium ire coactus est, ex quò tamen post paucorum annorum decursum revocatus in Scholâ illustri Misnensi, provinciam, Conrectoris administravit.
8. M. Casparus Janicius, Budissinus, ex Schola Camentianâ huc evocatus, & in M. Rackelmanni, ab officio remoti, locum suffectus, non diu in hâc statione permanfit, anno enim 1591. propter Cacodoxam & Calvinisticam Religionem, quam profitebatur Janicius, ab officio remotus, & urbe exire intra menstruum spatium iussus est.
9. M. Tobias Simon, Dresdensis, nactus Rectoratum post Janicii discessum sub finem anni 1591. Excessit ex hâc vita 8. Januarii anno 1624. per 33. annos fermè officio suo fideliter functus.
10. Georgius Hausmannus, Mitweidensis, Pœta Cæsareus e Scholâ Freibergensi, in qua tertium locum habuit, huc e-

voca-

vocatus. Munus suum adiit 16. Julii anno 1624. obiit d. 28. Januarii, 3. Febr. sepultus anno 1639. officioque præfuit ferme 15. annos.

11. M. Johannes Bohemus, Dietmansdorfio Misnicus, Pöeta Cæsareus, e celebri Gymnasio Hallensi, in quo supra 12. annos Conrektoratus munere functus fuit, huc vocatus anno 1639. placidè in Christo obdormivit d. 3. Septembr. 1676. postquam 77. annos & 12. septim. vixisset, atque 37. ferè annos in Schola nostra docuisset.
12. M. Johannes Augustinus Egenolfus, Scholæ per 14. annos cum dimidio Conrektor, B. Bohemo successit, & à maximè venerandis Dominis Inspectoribus introductus fuit d. 5. Decembr. 1676.

Primus Conrektor fuit

- M. Johannes Tetelbachius, Dinckelspülensis, ex Svevia inferiori, qui postea ad munus Pastoris Misenam ad D. Afræ vocatus est.
2. M. Johannes Vinitor, Dresdensis.
3. Johannes Rosbachius, Oelsnicensis Variscus, factus tandem Diaconus.
4. M. Andreas Cuspadius Dresdensis, Diaconus deinde factus.
5. M. Georgius Wiedeloppff / Schnebergensis.
6. Christophorus Lucius, Dresdensis, ad Diaconi officium hinc vocatus.
7. M. Georgius Graupicius, Dresdensis.
8. M. Matthias Schumann / Dresdensis, qui fuit antè Ludimoderator Scholæ Schlackenaviensis per quinquennium.
9. M. Tobias Simon, Dresdensis, postmodum Rector factus.
10. M. Casparus Fuggerus, Dresdensis, qui obiit d. 24. Julii Anno 1617.
11. M. Johannes Eulenaus, Wurzensis, qui officium adiit 18. Decembr.

- cembr. Anno 1617. factus postmodum Pastor in opidō
 Verdau.
12. M. Caspar. Henricus Mittelstadt / Dresdensis, introductus d.
 18. Junii, Anno 1627. factus postmodum Diaconus in veteri
 Dresdâ.
13. M. Michael Sembach / Dresdensis, introductus 2. Februarii Anno
 1633. postmodum anno 1640. mense Decembri factus Pastor
 in pago Plauen / propè Dresdam.
14. M. Petrus Bertram / Naumburgensis, è Schola Naumburgen-
 si, ubi Conrektor fuit, huc evocatus d. 16. Februarii, & 27.
 Febr. introductus anno 1641. Postmodum Pastor factus in
 pago Schönfeld / quam functionem adiit d. 9. Octobris an-
 no 1649. Vocatus deinde ad Pastoratum in opido Lausig /
 propè Lipsiam d. 20. Novembr. Anno 1661. Tandem Pastor
 factus in Briesnig propè Dresdam, Dom. 1. Adventus An-
 no 1671.
15. M. Gottfried Knaut / Doebelensis, antea Tertius, auspiciatus est
 lectiones suas d. 26. Novembr. 1649. Factus Pastor Strelensis,
 d. 11. Septembris, Anno 1652.
16. M. Benjamin Stollberg / Röthaviensis, introductus d. 20. De-
 cembris, Anno 1652. Moritur d. 14. Aprilis 1662.
17. M. Johannes Augustinus Egenolfus, Erfurtensis, è Schola
 Chemnicensi, ubi supra quadriennium Reçtoratus munere
 functus erat, huc vocatus, & introductus 30. Junii 1662.
 postmodum Reçtor legitime vocatus est.
18. M. Johannes Valentinus Merbitz / Dresdensis, cum Reçtore vo-
 catus, confirmatus & introductus d. 5. Decembr. 1676.

Collegae Tertii.

Inter Cantores (tunc temporis tantum quatuor fuerunt
 Collegæ, & Tertius fuit Cantor, successu verò temporis duo
 additi fuere, & Cantoratus translatus ad Quartum) primus
 fuit.

Sebaldus Baumannus, Norimbergensis, ist hernach Wirth oder
 Gastgeber zum goldnen Löwen worden.

2. Jc-

2. Johannes Sölnerus, postea factus Pastor in pago Leubenis propè
Dresdam.
3. M. Andreas Fando, Vandalus, ex Scholâ Senatoria Lipsiensi
huc vocatus.
4. Andreas Petermannus, Dresdensis.
5. M. Casparus Fuggerus, Dresdensis, factus postmodum Con-
rector.

Hic Cantoratus ad Quartum Collegam translatus fuit.

6. Thomas Pitschius, Dresdensis, qui per 48. annos cum dimidio
functionibus scholasticis præfuit, obiit 1. Junii, Anno 1612.
7. Wolfgangus Jenichen, Vetero Dresdensis, fuit primùm quin-
tus Collega ab 1595. die 18. Jan. usque ad annum 1612. quo
Tertius factus & 17. Septembris introductus fuit, cui classi
indefatigabili diligentia & summa laborum tolerantia per 32.
annos cum dimidio præfuit, donec tandem Anno 1644. d.
27. Martii officio suo, ob penitus prostratas & in pulvere
scholastico elisas vires corporis, sponte sua valedixit.
Quem meritissimum Senem Senatus Amplissimus non tan-
tum rube donando benevolè dimisit, sed & de sustentatio-
ne, & sat honorifico stipendio ad tempus vitæ laudabiliter
prospexit. Quæ gratiosa Senatus incluti munificentia, &
erga meritum Præceptorem ac Collegas singularis benevo-
lencia, uti omni laude ac deprædicatione; sic grata apud
posterios recordatione omnino dignissima adeoque hic loci
minime est reticenda. Natus fuit 4. Novembris Anno 1564.
Denatus d. 19. Aprilis 1649. Vixit 84. annos 23. septim. 4.
dies & 8. horas.
8. M. Gottfriede Knaut/Doebelensis, introductus d. 27. Maji Anno
1644.
9. M. Tobias Sternebeck/Misnensis, introductus fuit d. 25. Octo-
bris 1649. Obiit d. 25. Aprilis Anno 1653.

10. Isaac Starck / Mitweidensis, è Schola Bardovicana propè Lunæburgum, in quâ Ludimoderatoris fasces gessit, huc vocatus, introductus fuit d. 20. Septembris 1653.

Collegæ Quarti

1. Antonius Rudolphus, postea ad Diaconi in hâc urbe officium evectus.
2. Andreas Cuspadius, qui post Conrectoris, deinde & Diaconi munere functus est.
3. Christophorus Lucius, qui & ipse postea Conrectoris, & Diaconi munere functus est.
4. Andreas Petermannus, Dresdensis.
5. Sebastianus Grölich / factus tandem Pastor in pago Ketschenbroda.
6. Thomas Pitzschius, Dresdensis.
7. Basilius Colerus, Altenbergensis, Cantor,
8. Bartholomæus Petermann, Dresdensis, Cantor.
9. Christophorus Hießberger / Dresdensis, Cantor, 1612.
10. M. Samuel Rülingius, Graicensis, Cantor introductus d. 17. Septembris Anno 1612. Diaconus postmodum in hâc urbe factus d. 25. Octobris Anno 1615.
11. M. Christophorus Neander, Coldicensis, Cantor Anno 1615. designatus, mortuus est d. 21. Januarii 1624.
15. Michael Lohr / Mariæbergensis, Cantor è Schola Rochlicensi Anno 1624. d. 30. Martii huc vocatus, & 20. Maji ejusdem anni introductus, mortuus est d. 17. Febr. hora 4ta pomeridiana anno 1654.
13. Jacobus Beutel / Misnensis, Cantor Lucanus in Lusatia, unde evocatus 1654. d. 20. Junii ejusdem anni introductus fuit.
Anno MDLXXV. Rectore M. Friederico Zörlero, quintus etiam & sextus Collega Collegio scholastico annumerari cœperunt.

Fue-

Evenerunt ergò

Collegæ Quinti

1. Johannes Winzerin.
2. Georgius Carpius, Misnensis.
3. Balthasar Wagnerus, Dresdensis.
4. Jeremias Mylius, Bornensis.
5. Marcus Grahl, Vetero-Dresdensis, postmodum factus pastor in pago Weiszig/propè Radebergam.
6. Johannes Weizerus, Dresdensis.
7. Wenzeslaus Fehrmann/ Dresdensis, factus tandem Pastor in pago Rostwig.
8. Joachimus Kizius, Dresdensis, qui hic mortuus.
9. Wolffgangus Jenichen, Vetero Dresdensis, introductus Anno 1595. d. 18. Januar.
10. Ambrosius Stephani, introductus 17. Septembr. 1612. ob cæcitatem ab anno 1635. d. 14. Julii usque ad annum 1639, d. 18. Novembr. quo mortuus est, officio suo perfungi non potuit. Officium tamen, Magistratu incluto laudabiliter ita disponente, salarium & omnia accidentia, uti vocant, retinuit, absque ullo Substitutô. Vices ipsius interea quidam ex majoribus discipulis sustinuit.
11. Samuel Helmert/ Pausensis Variscus, introductus d. 6. Martii Anno 1640. obiit d. 5. Septembr. dimidia 12. ante meridiem, Anno 1661. ultra 50. annos de pube scholastica optime meritus Collegii Senior, & d. 11. ejusdem mensis solenniter terræ mandatus fuit, anno ætatis 73. cum 30. septimanis & 2. diebus.
12. Andreas Kraut/ Palæo Dresdensis, Poët. Laur. Cæsar. Alumnorum antea Regens, introductus d. 25. Novembr. 1661.

Collegæ

Collegæ Sexti.

1. Zacharias Fuggerus, Dresdensis.
2. Joachimus Kizius, Vetero- Dresdensis.
3. Thomas Furhoccus, Vetero Dresdensis.
4. Georgius Cuno alias Kühn/ Freibergensis.
5. Ambrosius Stephani, Lobschüzensis, postmodum Quintus factus.
6. Samuel Helmert / Pausensis Variscus, introductus d. 17. Sept. Anno 1612. in Quinti locum deinceps surrogatus.
7. Christophorus Frölich/ Romburgensis Bohemus, vocatus d. 20. Febr. Anno 1640. introductus d. 6. Martii ejusdem anni. Hic d. 6. Junii Anno 1643. vocatus ad Cantoratum Freibergensem Christophoro Demantio successit. Quod officium adiit d. 10. Novembr. ejusdem anni.
8. David Müller / PalæoDresdensis, Cantor quondam Pulsnicensis in superiori Lusatia, introductus d. 27. Novembr. Anno 1643. obiit d. 1. Septembr. hor. 7. vespertinâ anno 1667.
9. Simon Better/ Buxdorffensis, antea Alumnorum Regens, introductus d. 30. Martii 1668.
10. Daniel Köhler / Dippoldisylvanus, antea Alumnorum Regens, introductus fuit d. 8. Octobr. 1674.

Alumnorum Regentes.

Regentes, uti vocant, qui olim à Rectore ex Majoribus discipulis recipiebantur, quorum quidem nomina haberi potuerunt, fuerunt:

1. Marti-

1. Martinus Preßler.
2. Martinus Barth.
3. Christophorus Martinus,
4. Petrus Papius, anno 1587.
5. Leonhardus Dreselius, five Dreslerus, Anno 1598. mansit usque ad annum 1607. ubi ei succesit
6. Thomas Sebauer / Pulsnicensis, anno 1607. hinc vocatus ad officium Ludimoderatoris in Pilniz, Anno 1608.
7. Martinus Stenzlerus, Marchicus, anno 1608. mansit usque ad annum 1610.
8. Samuel Helmer / Pausensis Variscus, Anno 1610. postmodum Collega VI. factus, Anno 1612.
9. Michael Wegerus, Dresdensis, Anno 1612. vocatus anno 1616. Hainam ad officium Collegæ infimi, ubi & mortuus est.
10. Georgius Gœbelius, Dresd. receptus anno 1616. mansit usque ad annum 1617.
11. Johannes Bartholomæi, Anno 1617.
12. Jacobus Morgenstern / Jüterbocensis, successit anno 1618. qui Anno 1623. factus Ludimoderator Vetero Dresdensis, ubi & mortuus est.
13. Christophorus Frölich / Romburgensis, receptus in Festo Paschatos Anno 1633. mansit usque ad festum Pentecostes, Anno 1640. ubi Collega factus infimus, & postmodum Cantor Freibergensis, Anno 1643. mense Novembri.
14. Wolffgangus Zende / Schlaizio Variscus, receptus in festo Pentecostes Anno 1640. abiit d. 29. Octobris Anno 1643. in Voigtlandiam vocatus ad munus Pastoris obeundum in

B

Pago

pago Löhma prope Schlaizium, factus deinde Pastor in
Dittersdorff/ ubi & mortuus est.

15. Immanuel Gerber/Mittweidensis, hic inante discipulus, re-
ceptus d. 2. Martii Anno 1644. contulit se anno 1645. d. 15.
Martii studiorum gratia Lipsiam, & postmodum factus
est Pastor in Colmen propo Colditium, jam est Symmysta
Freibergæ in æde S. Petri.
16. Donatus Schomer/Grimmenfis Misnicus, (qui etiam inante
discipulus) ex Academia Wittebergenfi evocatus, intro-
ductus fuit d. 20. Aprilis, Anno 1645. factus est anno 1648.
Pastor in pago Oberau prope Misenam.
17. Georgius Wehrmann/Hainichensis Misnicus, etiam in Scho-
la Dresdenfi educatus & Wittebergâ evocatus. Recipie-
batur d. 30. Octob. 1648. quum pridie ejus diei PAX in im-
perio Romano publicaretur. Successit & Schomero pa-
stor factus in Oberau, d. 11. Maji 1654.
18. Sigismundus Schneider/Freibergensis, inante hic discipulus,
introduc-tus d. 12. Maji anno 1654. vocatus in Pastor in pago
Neufirch d. 27. Novembr. 1657.
19. Christophorus Koch/Camentio Lusatus, inante hic discipu-
lus, introduc-tus d. 26. Novembr. Anno 1657. mansit usque
ad annum 1659. d. 28. Septembr.
20. Andreas Kraut/Palæo Dresdenfis (qui etiam in Schola no-
stra educatus fuit) introduc-tus d. 20. Novembr. Anno
1659. Postmodum factus est Collega Quintus Anno 1661.
21. Johannes Samuel Adami Dresdenfis, inantè hic Discipu-
lus, introduc-tus d. 25. Novembr. 1661. Factus est Magi-
ster Wittebergæ 1664. circa festum Michaelis, & pastor in
Rabenau d. 1. Junii 1667.
22. Simon Better/Buxdorffiensis, inante hic discipulus, introdu-
ctus

Etus d. 1. Junii, Anno 1667. postmodum factus est Collega sextus.

23. Adamus Walther/ Radebergensis, introductus d. 30. Martii 1668. discessit Ludimoderator Nossenam vocatus 1673.
24. Daniel Köhler/ Dippoldisylv. inante Discipulus, introduct. 7. Julii 1673. factus est Collega sextus.
25. Samuel Falcke/ Misnensis, inante Discipulus, introductus d. 8. Octobr. 1674. Resignavit officium d. 30. Novembr. 1675. Pastor in pago Globitz factus.
26. Michael Percht/ PalæoDresdensis, qui & ipse inante discipulus, introd. d. 2. Decembr. 1675.

Tabulae lapideae,

super introitu Scholae nostrae, sequentia verba
inscripta sunt.

AD
DEI GLORIAM, ECCLESIAE
SALUTEM ET TOTIUS URBIS
USUM

Hanc pietatis & literarum officinam
Amplissimus Reipub. Dresd. Senatus Anno
Christi MDLVII. aedificari,

sed
Anno Christi MDCXIX. renovari suis curavit
sumtibus.

Ad

QX Ya 3304

Ad Juventutem.

Hic propera, studiose puer, tibi discere Christum
sit prior, hinc artes altera cura bonas.

F I N I S.



1077 n.c.



h. 76, 43

VICI

b

VAI

pietate,

hacte

M

IN

Rei Sch

M. JOH. A

3558

Typis viduæ &

NE

X 2005160

M

lestia

e

,

&

OLFUS,

RGENII,

Ya
3307

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

